



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 7. An contractus invalidus firmatur juramento, & obligat ex justitia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

cum sint pretio aestimabilia: alias non servaretur aequalitas. Apposita autem impleri debent ex justitia, juxta reg. 85. Jur. in 6. *Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur*, & l. 1. ff. *depos.* 3. Non omnis contractus factus contra legem est invalidus, nam multa fieri prohibentur, quae facta tenent, ut constat ex Jure: sic valet venditio rei jam alteri venditae, sed nondum traditae, quamvis sit illicita.

Q. 7. *An contractus invalidus firmatur juramento, & obligat ex justitia?*

Not. 1. Aliud est juramentum esse validum, & aliud contractum juramento firmari. Juramentum est praecise validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis per illud nullum jus acquirat is, in cujus favorem factum est: unde induerit solum obligationem religionis, quae tota respicit Deum, nec transit ad haereditatem, utpote personalis, tolliturque Juramenti relaxatione. Juramentum vero firmat contractum, quando validum contractum efficit, ideoque non solum inducit obligationem religionis, sed etiam Justitiae, & jus tribuit alteri. Unde obtentam Juramenti relaxationem, remanet obligatio Justitiae orta ex contractu valido, quae transit ad haereditatem, utpote realis, ex l. 8. ff. *de peric. & commodo rei venditae.*

Not.

Not. 2. Juramentum five firmet contractum five non, est validum, & obligat, quando potest servari sine peccato, & damno alterius, ex cap. 8. & 28. *de Jurejur.* quia reverentia Deo debita id exigit, ne Deus, quantum in nobis est, reddatur testis falsitatis.

Resp. I. Ex communi, contractus vi, metu injusto, vel dolo extortus, vel injuriam continens ex parte illius, cui juratur, non firmatur Juramento, ita ut rescindi non possit, ex cap. 28. *de Jurejur.* quia qui injuriam intulit, tenetur Jure naturæ eam refarcire, & restituere alium in priorem statum, ac libertatem; ideoque remittere Jus ex promissione acquisitum, si quod sit. Unde talis non habet jus firmum, & irrevocabile, Juramentum enim non tollit injuriam acceptam; sed jurans potest ob injuriam acceptam petere, & obtinere relaxationem Juramenti, qua obtenta cessat omnis obligatio. Hinc quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis, cap. 6. *de Jurejur.* cum licitè solvi possint: tamen promissio illas solvendi non firmatur Juramento, nec usurarius Jus ullum ad illas acquirit, sed tenetur solutas restituere, ex cap. *il.* idem dic de promissione facta furi ex metu ab eo injustè incusso.

Resp. II. Contractus Jure naturali invalidi non firmantur Juramento. Patet, nam Juramentum non mutat naturam illorum, nec potest

test supplere defectum substantialem, propter quem sunt irriti.

Resp. III. Contractus solo Jure positivo irritus non firmatur Juramento, si irritatio facta sit immediatè, & principaliter propter bonum commune. *Est communis.* Prob. tum ex cap. 12. *de Foro compet.* ubi dicitur Clericus non posse etiam cum Juramento renunciare privilegio fori, cum hoc principaliter concessum sit ordini, & statui Clericorum, & Juri, seu beneficio publico privatorum pactio derogare non possit: tum quia tunc eo ipso contractus est in detrimentum communitatis, ac proinde res promissa non potest licitè præstari: & sic Juramentum nullius roboris est, ex cap. 28. *de Jurejur.*

Si verò irritatio facta sit immediatè, ac principaliter propter utilitatem privatam contractuentium, tunc juxta multos contractus Juramento firmatur, modò absit injustitia ex parte illius, cui juratur. Quia I. tales contractus accedente Juramento transferunt dominium, & dant actionem, tum ex Jure civili, L. *Sacramenta*, cod. *si adversus vendit.* ibi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur:* tum ex Jure canonico, c. 2. *de Pact.* in 6. & ex c. 28. *de Jurejur.* ubi Pontifex declarat contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, qui Jure positivo irritus est, servari debere, si accesserit juramentum
sine

sine vi, & dolo præstitum. Igitur cum jura tunc negent jus repetendi, & reclamandi, quod concedunt quando juramentum dolo, vel metu, extortum est, agnoscunt Jus Justitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2. Quisque potest renunciare favori pro se directè introducto per legem, nisi ob aliquam causam id prohibeatur: licet enim cedere juri & bono privato, cujus domini sumus. Ergo posita tali renunciatione, perinde est ac si non esset Jus positivum: at Jure positivo secluso contractus illi sunt ex natura sua firmi, & validi, ideoque perinde obligant ex Justitia, ac si per leges non fuissent irritati.

Si tamen legislator ita irritaret contractum, ut nullam vim habere vellet in conscientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur Juramento: quia subditus non potest derogare potestati, ac voluntati legislatoris; & Juramentum, cum sit accessorium contractui, non potest facere, ut id, quod non est, valeat.

Q. 8. An, & quomodo obligant contractus ad diem, sub modo, ad causam, & ad demonstrationem?

Resp. I. Contractus ad diem, inducit statim obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfinitum. Contractus